

## CLASSICAL TRIPPOS Part I

---

Monday 12 June 2000      9 to 12

---

Paper 3

### LATIN TRANSLATION

*Translate all the passages.*

*Please tie up each Section separately.*

**The Examiners will give equal weight to each Section.**

*Write your number (not your name) on the cover-sheet of each Section.*

**It is important to write good English.**

### SECTION A

*Translate:*

**A1**

#### MARIUS ASSERTS HIS WORTH AS COMMANDER

bellum me gerere cum Iugurtha iussistis, quam rem nobilitas aegerrume tulit. quae-  
reso, reputate cum animis uostris num id mutare melius sit. si quem ex illo globo  
nobilitatis ad hoc aut aliud tale negotium mittatis, hominem ueteris prosapiae ac  
multarum imaginum et nullius stipendi, scilicet ut in tanta re ignarus omnium  
trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo monitorem offici sui. ita plerumque  
euenit ut quem uos imperare iussistis, is sibi imperatorem alium quaerat. atque ego  
scio, Quirites, qui postquam consules facti sunt et acta maiorum et Graecorum  
militaria praecepta legere coeperint: praeposteri homines, nam gerere quam fieri  
tempore posterius, re atque usu prius est. comparate nunc, Quirites, cum illorum  
superbia me hominem nouom: quae illi audire aut legere solent, eorum partem uidi,  
alia egomet gessi; quae illi litteris, ea ego militando didici. nunc uos existumate  
facta an dicta pluris sint. contemnunt nouitatem meam, ego illorum ignauiam: mihi  
fortuna, illis probra obiectantur.

SALLUST *Jugurtha* 85 10–15

[TURN OVER]

**A2**

## THE CORRUPTION OF BACCHIC RITUAL

tum Hispala originem sacrorum expromit: primo sacrarium id feminarum fuisse, nec quemquam eo uirum admitti solitum. tres in anno dies statos habuisse, quibus interdiu Bacchis initiaarentur; sacerdotes in uicem matronas creari solitas. Pacullam Anniam Campanam sacerdotem omnia tamquam deum monitu immutasse: nam et uiros eam primam filios suos initiasse, Minium et Herennium Cerrinios, et nocturnum sacrum ex diurno, et pro tribus in anno diebus quinos singulis mensibus dies initiorum fecisse. ex quo in promiseuo sacra sint et permixti uiri feminis et noctis licentia accesserit, nihil ibi facinoris, nihil flagitiis praetermissum. plura uirorum inter se se quam feminarum stupra esse; si qui minus patientes dedecoris sint et pigriores ad facinus, pro uictimis immolari. nihil nefas ducere, hanc summam inter eos religionem esse. uiros uelut mente capta cum iactatione fanatica corporis uaticinari; matronas Baccharum habitu crinibus passis cum ardentibus facibus decurrere ad Tiberim, demissasque in aquam faces, quia uiuum sulphur cum calce insit, integra flamma efferre.

LIVY XXXIX 13 8–12

**SECTION B***Translate:***B1**

## SIMO TRIES TO EXPLOIT A QUARREL BETWEEN HIS SON AND HIS SON'S GIRLFRIEND GLYCERIUM

*SI.* per te deos oro et nostram amicitiam, Chreme,  
quae incepta a paruis cum aetate adcreuit simul,  
perque unicam gnatam tuam et gnatum meum,  
quoius tibi potestas summa seruandi datur,  
ut me adiuues in hac re atque ita uti nuptiae  
fuerant futurae, fiant. *CH.* ah ne me obsecra:  
quasi hoc te orando a me impetrare oporteat.  
alium esse censes nunc me atque olim quom dabam?  
si in remst utrique ut fiant, accersi iube;  
sed si ex ea re plus malist quam commodi  
utrique, id oro te in commune ut consulas,  
quasi si illa tua sit Pamphiliique ego sim pater.  
*SI.* immo ita uolo itaque postulo ut fiat, Chreme,  
neque postulem abs te ni ipsa res moneat. *CH.* quid est?  
*SI.* irae sunt inter Glycerium et gnatum. *CH.* audio.  
*SI.* ita magnae ut sperem posse auelli. *CH.* fabulae!  
*SI.* profecto sic est. *CH.* sic hercle ut dicam tibi:  
amantium irae amoris integratiost.  
*SI.* em id te oro ut ante eamu', dum tempus datur  
dumque eius lubido occlusast contumeliis,  
priu' quam harum scelera et lacrumae confictae dolis  
redducunt animum aegrotum ad misericordiam,  
uxorem demu'.

TERENCE *Andria* 538–560

**B2**

hunc simul agnoui (neque enim mihi notior alter)  
     talibus affata est libera lingua sonis:  
 ‘o puer, exilii decepto causa magistro,  
     quem fuit utilius non docuisse mihi,  
 hoc quoque uenisti, pax est ubi tempore nullo  
     et coit adstrictis barbarus Hister aquis?  
 quae tibi causa uiae, nisi uti mala nostra uideres?  
     quae sunt (si nescis) inuidiosa tibi.  
 tu mihi dictasti iuuentalia carmina primus,  
     apposui senis te duce quinque pedes.  
 nec me Maeonio consurgere carmine nec me  
     dicere magnorum passus es acta ducum.  
 forsitan exigucas, aliquas tamen, arcus et ignes  
     ingenii uires comminuere mei.  
 namque ego dum canto tua regna tuaeque parentis,  
     in nullum mea mens grande uacauit opus.  
 nec satis hoc fuerat: stulto quoque carmine feci,  
     Artibus ut posses non rudis esse meis.  
 pro quibus exilium misero est mihi redditum merces,  
     id quoque in extremis et sine pace locis.’

OVID *Ex Ponto* III 3 21–40**B3**

## PRISCILLA ON HER DEATHBED

iamque cadunt uultus oculisque nouissimus error  
 obtunsaque aures, nisi cum uox sola mariti  
 noscitur; illum unum media de morte reuersa  
 mens uidet, illum aegris circumdat fortiter ulnis  
 immotas obuersa genas, nec sole supremo  
 lumina sed dulci mauult satiare marito.  
 tum sic unanimum moriens solatur amantem:  
 ‘pars animae uictura meae, cui linquere possim  
 o utinam quos dura mihi rapit Atropos annos,  
 parce precor lacrimis, saeuo ne concute planetu  
 pectora, nec crucia fugientem coniugis umbram.  
 linquo equidem thalamos, saluo tamen ordine mortis  
 quod prior; exegi longa potiora senecta  
 tempora. uidi omni pridem te flore nitentem,  
 uidi altae propius propiusque accedere dextrae.  
 non in te Fatis, non iam caelestibus ullis  
 arbitrium: mecum ista fero’.

STATIUS *Silvae* v 1 170–186